



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XII. Idem in eodem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

veteres forum dixere Lucilius lib. 3. Romanis ludis
forum olim ornatus lucernis. Probat Philip. Bro-
deus ad Poler. dict. cap. 1. Gibalinus de negot. tom. 1.
lib. 2. cap. 3. art. 1. Inde forentes dicuntur, qui in
foro verfantur. Vitruvius lib. 6. cap. 8. ibi: Forentibus
autem, & disertis elegantiora & spatiosiora ad con-
ventus excipiendos. Et controversia ipsæ, quæ ibi
disceptantur, forentes appellantur. Vipertus lib. 1.
vita Leonis IX. cap. 4. Nempe ut primum competis
rudibus, decurso artium trivio, non solum clarue-
runt prosa & metro, verum & forentes controversi-
as acuto, & vivaci oculo mentis deprehensas expe-
diebant, seu removebant sedulo. Notavit Bosquetus
ad Innoc. III. lib. 2. epist. 105.

3. c. **Judicium.**] Varias acceptiones judicij addu-
xerunt Abbas, Ripa, & alij repetentes ad rubricam
suprà de judic. Marant. de ordine judic. 1. part.
dist. 14. D. Perez in rubric. tit. 1. lib. 3. ordin. Scaccia
de judic. lib. 1. cap. 1. num. 3. Brisson. Calvinus, & alij
Lexicographi verbo **Judicium**. Communiter acci-
pitur pro litigantium conflictu & forentium dis-
ceptantium certamine, ut probat Cujac. ad tit. su-
prà de judic. Explicat Abbas in præsent. n. 1. Decius
lecturæ 1. num. 5. Ripa num. 50. Sotus de justitia lib. 3.
q. 4. num. 11. Scaccia d. lib. 1. cap. 2. à num. 2. à qua

etymologia non multum discrepat alia Cuiacij ubi
suprà. ut judicium dicatur quasi jurisdictionis; cui fa-
vere videtur Marcus Varro lib. 5. de lingua Latin.
judicium à jure & dicendo derivat, profe-
quuntur Osvaldus in not. ad Donel. lib. 17. comment.
cap. 3. litt. A.

d. **Jurgium.**] Festus ait. **Jurgium** juris actio est,
& agere jurgare est. Ammianus Marcel. lib. 18. Cum
jurgando contra potentes se magis magisque injusti-
tiâ frangi, contemplaretur. Verbum uliratum in ju-
re, l. unie. Cod. de dilat. Hinc jurgare pro litigare, l. 6.
Cod. Theodos. de jurisd. l. 4. eod. C. de accusat. l. 2.
eod. C. de offic. judic. mil. notavit Savarus ad Sidoni-
um lib. 2. epist. 7.

e. **Lis.**] Ut probavi in cap. 1. de lit. contest.

f. **In omni.**] Consonat Fabianus in cap. in om-
ni 1. 4. quest. 4.

g. **Testis autem.**] Rectius D. Isidorus quam Ser-
vius ad illud Virgilij 3. Æneid. Superestne, & ves-
citur aurâ, inquit. Superstes præsentem significat.
Et Festus Pompeius ait: Superstes testes præsentem
significat, cuius rei testimonium est quod superstiti-
bus præsentibus ij, inter quos controversia est, vindic-
tias sumere jubentur. Notavit D. Garcias à Loayla
innotis ad D. Isidorum, in præsent.

4.

5.

CAPVT XI.

Idem.

Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura legibus aut moribus proba-
ta. Dicitur pactum quasi ex pace factum.

NOTÆ.

I.

a. **Idem.**] Ita etiam legitur in prima collectione,
sub hoc tit. c. 12. & reperitur textus hic d. lib. 5.
etymol. c. 24. & præsentem etymologiam exposui in

cap. 1. de pactis; præsentemque diffinitionem con-
gruam esse probat Fornerius lib. 5. rer. quotid. c. 14.
si ab ea expungatur mentio scripturæ, quæ non tam
ad substantiam pacti, quam ad probationem perti-
net, l. pactum 17. l. cum proponas 21. C. de pactis.

CAPVT XII.

Idem in eodem.

Jus dictum est à justè possidendo; hoc enim jure possidetur, quod justè: hoc justè,
quod benè, quod autem malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui vel
suis malè utitur, vel aliena præsumit.

I.

NOTÆ.

a. **Idem.**] Ita etiam legitur in prima collectione,
sub hoc tit. cap. 12. & reperitur textus hic d. lib.
5. etymolog. cap. 25. videturque sanctum Docto-

rum etymologiam hanc desumpsisse ex D. Augu-
stino relato à Gratiano in cap. 11. 4. quest. 4. Latè
juris etymologiam illustravi in principio Appara-
tus ad hæc commentaria.

CAPVT XIII.

Paschalis Papa II. *Canonicis S. Martini.*

Causa Carpen, plebis, &c. Et infra: Cæterum b primitiæ, decimæ, c oblationes in
solis Ecclesiarum bonis præcipue numerantur: oblationes verò dicimus quæcunque
de propriis, & d licitis rebus Ecclesiæ à e fidelibus offeruntur. Quicumque igitur
eas per manum, vel f potestatem obtinet sæcularem, procul dubio contra Domini & con-
tra Sanctorum Patrum nititur institutiones, quin immò & qui accepit, & qui tradit, rap-
tor, & sacrilegus judicatur.

NOTÆ.